

**www.e-rara.ch**

**In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii**

**Musculus, Wolfgang**

**Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]**

**Universitätsbibliothek Bern**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

**Psalmus CXXXIII.**

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

PSALMI CXXXVIII  
PSALMVS CXXXVIII.  
ARGVMENTVM PSALMI.

**C**elebrat propheta Dauid bonitatem Dei, qua fuerat ab illo in tribulationibus clementer auditus, & manu inimicorum liberatus: ac simul memorat, quid ab eo expectet in posterum.

Dauidis.



**C**elebrabo te in toto corde meo, coram potentibus psallam tibi.  
Procumbam ad templum sanctum tuum, & celebrabo nomen tuum, propter benignitatem tuam, & propter fidem tuam, quia magnificasti super omnia nomen tuum & eloquium tuum.  
Quo die inuocaui te, respondisti mihi: multiplicasti in anima mea fortitudinem.

**C**elebrabunt te Domine omnes reges terræ, cum audierint eloquia oris tui.

**E**t cantabunt in uis Domini, quod magna sit gloria Domini.

**Q**uod excelsus sit Dominus, & humilem respiciat, & sublimem de longinquo cognoscat.

**S**i ambulauero in medio tribulationis, uiuificabis me: super iram inimicorum meorum extends manum tuam, & seruabit me dextera tua.

**D**ominus perficiet pro me, Domine benignitas tua in seculum, opera manuum tuarum non deseres.

**LECTIO.**

**Coram potentibus.** Ebr. אל הדרה גבר. Græc. & Vulg. lat. In conspectu angelorum. Sic legit & Arabs. Et Pagnin. Coram angelis. Hieron. In conspectu deorum. Sic uertit & Iustin. & Felix. Camp. sic: Etiam palam & inuitis aliarum nationum omnibus dijs. Chald. דייא דייא: id est, Coram iudicibus.

**Propter benignitatem & fidem tuam.** Ebraicè est, על חסדך רעל אמרת. Reddūt ferè, Super misericordia tua & ueritate tua.

**Quia magnificasti super omnia nomen tuum.** Ebraicè sic habetur, שמך אמרתך כי הגדלת על כל, id est, Quoniam magnificasti super omne nomen tuum eloquium tuum. Visum est interponere coniunctionis uoculam, quod & alij ante me fecerūt, & perspicuitas sensus exposcere uideatur. Græc. & Vulg. lat. sic, Quoniam magnificasti super omne nomē sanctum tuum. Illi ademerunt de textu, & pro אמרתך legerunt קדשך. Chald. sic, Quoniam magnificasti super omne nomen tuum uerba laudis tuæ. Hieron. Quia magnificasti super omne nomen eloquium tuum. Sic & Felix: nisi quod legit, Super omne nomen tuum. Camp. sic: Multo namq; plura quàm tu uerbis tuis promiseras, præstitit nobis augustissimum illud nomē tuum. Ille uerba Prophetæ sic construxit, כי הגדלת על כל שמך אמרתך כי הגדלת, id est, Quia magnificasti nomen tuum super omne eloquium tuū. Vel sicut Kimhi Ebr. ordinat שמך אמרתך על כל כי הגדלת: id est, Quia magnificasti super omne eloquium tuum, nomen tuum.

**Quo die inuocaui te.** Græc. & Vulg. lat. sic: In quacunq; die inuocaui te, exaudi me: multiplicabis in anima mea uirtutem. Hieron. legit in futuro, Exaudies me: Felix sic: In die qua clamaui, respondisti mihi: multiplicabis in anima mea fortitudinem.

**Celebrabunt te.** Ferè uertunt: Confiteantur tibi. Et illud, Cum audierint, reddunt: Quoniam audierunt.

**Quod excelsus sit Dominus.** Vertunt, Quoniam excelsus est Dominus, & humilia respicit, & alta de longè cognoscit.

**Dominus perficiet pro me.** Ebr. est, יהיה יגבר. Græc. & Vulg. lat. pro יגבר legunt גבר, & uertunt, Dominus retribuet pro me. Hieron. Dominus operabitur pro me.

**EXPLANA NATIO.** Celebrabo te.) Tribus primis uersibus animi sui gratitudinem ac laudem diuini nominis pollicetur, propterea quod se clamantem & inuocantem audierit Deus, & in tribulationib. confortarit. Deinde, uersibus 4. 5. & 6. canit, quid ex eo futurum sit apud posteros reges, ubi illis eloquiorum Dei ueritas innotuerit. Tertiò, duobus postremis uersibus de fiducia sua erga bonitatem Dei canit: & quid in posterum ab illo speret, commemorat.

**Celebrabo te toto corde meo.** Illud, quod dicit, Coram potentibus psallam tibi: innuit hunc psalmum ad hoc potissimum esse compositum, ut ex eo admoneantur potentes, iudices, & magistratus, ad quem respicere, & cui acceptum ferre debeant, quod supra populum Dei in sublime sunt exaltati: ad Dominum uidelicet, à quo ipse periculis liberatus erat, & in regni gloriâ sublimatus. Hoc mihi significare uidetur, cum dicit: Coram potētibus psallam tibi. Quod & ea respiciunt, quæ infra uers. 4. 5. & 6. canuntur.

**Procumbam ad templum sanctum tuum.** Significat se summa cū ueneratione appariturum in tabernaculo Dei, illicq; nomen illius celebraturū. Ebræa uox חבל חבל significat regiam & palatium. Loquitur

**A** Loquitur enim Deo, tanquam regi omnium excellentissimo. Intelligit autem de tabernaculo Dei. Nam templum illud Hierosol. nondum erat extructum. Quare nomen Dei celebraturus sit, subiungit, dicens: Propter benignitatem tuam, ac propter fidem tuam, quia magnificasti super omnia nomen tuum, & eloquium tuum. Q. d. Hoc de te predicabo, quod benignitatem ac fidem tuam sic erga me declarasti, ut nomen tuum & eloquium tuum, id est, eloquii tui ueritatem, extuleris & illustraris super omnia. Intelligit autem per eloquium Dei uerbum illud unctio nis regiae, quam per Samuelem, secundum eloquium & iussu Dei, consequutus fuerat.

*Quo die inuocaui te.*) Clarius exprimit quod uersu praecedenti obscurius protulerat, quo modo uidelicet nomen & eloquium suum Deus erga se magnificarit. Quo die, inquit, inuocaui te, respondisti mihi, &c. Q. d. Cum essem in angustiis persecutionis & exilij constitutus, in uocaui te, pro fide, spe, ac fiducia mea, quam in te collocaui, & tu me secundum benignitatem tuam exaudisti, & animum meum admodum corroborasti, ne mole afflictionum pressus, cederem: id quod fidem ac ueritatem eloquii tui mirum in modum illustrauit.

*Celebrabunt te Domine.*) Respicit ad id quod dixit, Magnificasti nomen tuum. Reges terrae, inquit, celebrabunt te, cum audierint eloquia oris tui: id est, Veritatem eloquiorum tuorum in me magnifice declaratam. Exponunt aliqui de uicinis regibus, Hiram uidelicet, rege Tyri, & Toi rege Hamath. Mihi uidetur posse intelligi de regibus terrae non cuiusuis, sed Israelis, hoc est, de posteris ac successoribus Dauidis.

*Et cantabunt in uis Domini.*) Hoc est, cantabunt de uis Domini. Sic illud est prouer. 10. *וְהָיָה בִּיַּיִן מִסֵּכָה*: id est, Bibite in uino, quod infudi. pro, Bibite de uino. Cantabunt de operibus ac studiis Domini, inquit. Cantabunt de bonitate, fide, ac ueritate Domini, quib. suis succurrere solet. Quid autem cantabunt? Subiicit: Quod magna sit gloria Domini, quod sit excelsus quidem, & tamen humile & abiectum respiciat, sublimen uero & elatum de longe cognoscat. Hoc est, quod clementer succurrat afflicto & humiliato, elatum uero de longinquo cognitum despiciat & sternat. Est autem cognoscere aliquem de longinquo, statim absque ullo familiaritatis commercio, uelut ex remotis, quis & qualis sit, cognoscere, ac cognitum aspernari. Intelligit autem uates de se, & Saule: de quo eo reges cantaturos dicit, quod se humilem clementer aspexerit Deus, & in regni solium praeter spem omnem euexerit: Saulem uero, regni potentia sublimem & elatum, uelut propius aspicere dedignatus, de longinquo cognitum despexerit & abiecerit.

*Si ambulauero in medio tribulationis.*) Iam consequenter de spe ac fiducia sua canit, quid sibi de Deo in futurum speret. Potest fieri, inquit, ut rursus incidam in tribulationes, & obnoxius fiam maliciae malorum hominum. Verum qua sum erga te fiducia, non deferres me, sed uiuificabis potius, & iram inimicorum meorum cohibebis, meque potenti tua dextera seruabis. Ego quid sum? Nullae sunt meae uires. Tu uero Domine perficies pro me omnia, quib. me destinasti: faciesque illud non meo merito, sed pro tua benignitate, quae nunquam interdicat, nec patieris, ut quae tu ipse instituisti ac coepisti, intercidat. Loquitur de causa regni ad quod fuerat delectus. Comendat hanc Domino, fateturque se illi perficiendo ac moderando prorsus esse imparem: ideoque sperare, non defuturum Dominum causae, quam ipse & coeperit, & mirabiliter hactenus direxerit.

*Celebrabo te toto corde meo.*) Quid hic obseruandum sit, uide supra psal. 9. uers. 1. & psal. 111. uers. 1.

*Coram potentibus psallam tibi.*) Obseruandum hic est, quod non simpliciter dicit, Psallam tibi: sed, Coram potentibus psallam tibi. Habet hoc Dauid peculiare, ut se uel in medio ecclesiae, uel in ecclesia magna, uel in concilio rectorum, uel in confessu seniorum, uel coram omni populo, laudaturum Dominum dicat: quale est, quod hic quoque canit, Coram potentibus psallam tibi. Gaudebat ergo ea laude Dei, quae uel coram multis, uel coram rectis, aut coram potentibus, magnis, ac primoribus populi offerretur. Faciebat enim ad illustrandum ac propagandum quoque gloriam Dei magis, quam si sola ipsius conscientia teste in occulto perficeretur. Itaque obseruandus est hic illius animus, quem non puduit, seque & sua omnia extenuare coram quibusuis, quo gloriam diuini nominis illustraret. Hoc enim omnino faciendum est ei, qui bonitatem, fidem, ac beneficentiam Domini ex animo deprædicare ac celebrare constituit.

*Procumbam ad templum sanctum tuum.*) Obserua, quod sanctuarium ac tabernaculum Dei uocat *בְּיָדְךָ*, id est, regiam ac palatium Dei sanctum, seque ad fores illius procubitum canit. Admonemur quo sint honoris affectu, & quam religiosa reuerentia, ea loca prosequenda, quae diuino sunt nomini & Ecclesiae Dei deputata.

*Et celebrabo nomen tuum.*) Cogitemus hic, quid sit potissimum faciendum in templo sancto Dei: id uidelicet, quod omnis est religionis caput & finis, ad quod dirigenda sunt omnia. Celebrabo, inquit nomen tuum. Est autem nomen Domini celebrare, ea de Deo prædicare, quae ad laudem nominis eius faciant.

*Propter benignitatem tuam, & propter fidem tuam.*) Obserua hoc quoque loco coniunctionem benignitatis ac fidei Dei, quae hactenus psalmis decem & septem, locis 23. coniunguntur. De harum uocum coniunctione annotaui obiter supra psal. 108.

*Quia magnificasti super omnia nomen tuum, & eloquium tuum.*) Consideremus hic, quod non di-

Vers. 3.

Vers. 4.

Vers. 5. &amp; 6.

Vers. 7. &amp; 8.

OBSER.

Vers. 1.

OBSER.

Vers. 2.

cit, Quia magnificasti nomen meum ac salutem meam, ideo celebrabo bonitatem ac fidē tuā. C  
sed, Quia magnificasti super omnia nomen tuum, & eloquiū tuum. Ergo nō tam de salute suā,  
quā de eo lætabatur, quōd nomen & eloquium Dei magnificatum esset, & illustratum.

Et uide, quæ coniungat. Benignitatem Dei, fidē Dei, nomen & eloquiū Dei. Hæc concurre  
runt in liberatione ac salute Dauidis. Habuit Deus rationē bonitatis ac fidei suæ, adeoq; & no  
minis & eloquij sui. Hisce ueluti respectib; tribuit Propheta, quōd esset ē manu inimicorū libe  
ratus. Admonemur, ut & nos ista in Deo consideremus, & ab illis immota fide pendeamus.

OBSER.  
Vers. 3.

Quo die inuocaui te.) De eo, quōd inuocanti se Deus responderit, dictum est aliquoties. Illud  
hoc loco obseruandum est, quōd dicit: Multiplicasti in anima mea fortitudinem. Quid est, mul  
tiplicari fortitudinem in anima aliud, quā animā frequenter & admodum diuina cōsolatio  
ne in rebus tristibus, ne concidat, erigi, & confirmari? Admonemur hic, quomodo suos Deus  
in rebus aduersis ad patientiam malorum spiritu suo corroboret, donec tempestiuum fiat, ut  
prorsus liberentur. Deinde, quomodo id tum potissimum fiat, quādo in angustiis constituti,  
opem Domini ex corde inuocant. Sic Christo contigit, quem post orationem illam, Pater si  
fieri potest, &c. & cordis angustiam angelus de cælo missus confortauit.

OBSER.  
Ver. 4. 5. & 6.

Celebrabunt te Domine omnes reges terræ.) Primum illud expende, quod de gloria Dei canit, quā  
accepturus erat à regibus terræ. Laudant Dominum etiam priuati ac subditi, & grata est Deo  
laus illa, quam offerunt ipsi quicūq; & cuiuscūq; conditionis pij homines. Quid est ergo,  
quōd Propheta specialiter de eo gloriatur, quōd reges exemplo ipsius moti, celebraturi erant  
Dominum, eloquia illius audiri, & de uijs eius cantari? Habet hæc res primum id quod  
rarum est, si rex quispiam laudet ac celebret Dominum. Deinde, quōd magis etiam ad gloriā  
nominis Dei facit. Tertiō, plurimum præterea commodat propagandæ in populo pietati, si  
rex pius sit, & diuini nominis gloriam celebret.

Secundo loco obserua, quōd dicit, Cum audierint eloquia oris tui. Ergo tum celebrabunt  
Dominum reges, cum audierint non superstitiosorum hominum somnia, & commenta eorū  
qui seipfos quærent, sed eloquia oris Dei. Constituit ergo spiritus sanctus reges auditores uer  
bi Dei, ut possint esse præcones nominis eius.

Tertiō: Et cantabunt, inquit, de uijs Domini, quōd magna sit gloria Domini. Cogita hic,  
quod genus cantici deceat palatia regum. Solenne est regum aulis, ut omnia musicis concen  
tibus & instrumentis personent. Verū id studij magis ad regum splendorem exornandum,  
quā ad uias Domini celebrandas dirigitur: quarum ferē crassissima est in aulis principum  
ignorantia. Illic non canitur de uijs Domini, sed de potestate principis: non quōd magna sit  
gloria Domini, sed quōd magna gloria sit principis: nō quōd excelsus sit Dominus, sed quōd  
illustrissimus & excelsissimus sit princeps. Neq; illud ibi canitur, ne de principe quidē, quōd  
humilem respiciat, & elatum fastidiat. Utinam huc Christiani principes respiciat, & quasi ima  
ginem quandam pij principis obseruent, & ex animo imitentur.

De eo quōd dicit, Et humilem respiciat, & sublimem de longinquo cognoscat: quid obser  
uandum sit, uide suprā psalm. 18. uersu 27.

OBSER.  
Vers. 7.

Si ambulauero in medio tribulationis.) Obseruandum est hoc uersu quid pariat in homine pio ex  
periētia diuini auxilij, in tribulationib; accepti. Suprā uersu tertio dixit: Quo die inuocaui te,  
respondisti mihi. Iam uerō, Si ambulauero, inquit in medio tribulationis, uiuificabis me. Sic  
ex præteritis fiduciam aduersum futuras tribulationes concipit. Non dicit autē, Si ambulaue  
ro in medio tribulationis, facile euadā, super irā inimicorū meorū extendam manum meam,  
quippe iam regiā potentiam consequutus, & seruabit me dextera mea: sed, Tu uiuificabis me,  
ut extends manum aduersus inimicos meos, & tua me dextera seruabit. Sic itaq; pijssimus  
rex, quamuis iā liberatus à magnis malis, & regni consequutus esset fastigia, haudquaquam ta  
mē pollicetur sibi in posterum constantem & immotam rerum tranquillitatem: sed parat ani  
mum suum ad patientiam malorum, de quib; tamen nihil dum habebat certi. Deinde non col  
locat in uires suas aliquid fiduciæ, sed spem omnem conijcit in benignitatem ac fidem Dei.

OBSER.  
Vers. ult.

Dominus perficiet pro me.) Notent hunc uersum quotquot magistratus administrant, & quicū  
que uel ministri sunt ecclesiarū Christi, uel patres sunt familiarum. Pius rex non præsumit de  
sua uel sapiētia, uel potentia, quæ tamē utraq; haud uulgaris erat: sed dicit, Dominus perficiet  
pro me, benignitas tua in seculum, opera manuum tuarum non deferres. Hac spe alacris in ad  
ministrando regno uersatur, & animum suum aduersum quæuis futura incommoda instru  
ctum reddit. Ad hunc modum animatos esse conuenit omnes eos, quibus aliquid muneris ad  
ministrandi concreditum est. Seduli sint & satagent in concredita sibi functione, & tamen ex  
animo fateantur, nihil se perficere posse omnium eorum quæ satagunt, sed omnem efficaciam  
esse Domini, ut ex corde dicere possint: Dominus perficiet pro me.

Postremò, illud autem transeundum non est, quod dicit, Opera manuum tuarum non dese  
res. Admonemur, eos demum rectē cum Propheta dicturos esse, Dominus perficiet pro me,  
qui in operibus manuum Dei uersantur. Non dicit pius rex, Opera manuum mearum non  
deferres:

A deseres: sed, Opera manuum tuarum non deseres. Opus Dei erat, quod regnabat Dauid. Opus Dei non erat, quod regnabat Shaul, sed opus populi ingrati & immorigeri. Nec opus Dei illud erat, quod Absalom pro patre regnabat. Qui non ex Deo regnant, dicere non possunt, Opes manuum tuarum non deseres. De illis queritur alicubi Deus per Prophetam: Ipsi regnant, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui. Qui in ecclesia dominium exercent, non poterunt dicere, Opus manuum tuarum Christe non deseres. Est enim uox Christi: Principes gentium dominantur illis, uos autem non sic. Sunt itaque consilia, studia, & opera humana distinguenda ab operibus Dei: statuendumque, id tandem æquum esse, ut suum ipsius opus quisque tueatur: nec petendum à Deo, ut alienum opus dirigat & conferuet.

## PSALMVS CXXXIX.

Ad præcinendum Dauidis psalmus.

## ARGVMENTVM PSALMI.

**S**ingulari studio canit hoc Psalmo Vates, nihil esse Deo incognitum omnium eorum quæ ipse uel cogitet, uel dicat, uel agere instituat: nec fieri posse, ut manum eius effugiat, quocumque tandem sese recipiat. Deinde queritur de impijs inimicis suis, ac in fine inquisitioni diuinæ innocentiam suam examinandam sistit, cuius rei gratia totum hunc psalmum composuit.



Domine inuestigasti me, &amp; cognouisti.

Tu nosti sessionem meam, &amp; stationem meam: intelligis cogitationem meam de longinquo.

Semitam meam &amp; accubitus meum circundedisti, &amp; omnes vias meas explorasti.

Quia non est sermo in lingua mea, ecce Domine nosti eum totum.

Retrò &amp; ante formasti me, &amp; admoouisti mihi manum tuam.

Mirabilis hæc scientia supra me est, ardua est, non possum eam consequi.

Et stationem meam.) Ebr. *מְנוּחָי*. Græc. & Vulg. lat. Et resurrectionem meam. Sic Hiero. quoque, Iustin. Felix & Pagninus uerterunt.

Et accubitus meum.) Ebr. *מְנוּחָי*. Græc. & Vulg. latina, Funiculum meum. Hieron. Accubationem meam.

**B** Circundedisti.) Ebr. *מְנוּחָי*. Græc. & Vulg. lat. Inuestigasti. Hieron. Iustin. & Pagn. Euentilasti. Explorasti.) Ebr. *מְנוּחָי*. Græc. & Vulg. lat. Præuidisti. Hiero. Intellexisti. Iustin. Didicisti. Ecce Domine nosti eum totum.) Ebr. *מְנוּחָי*. Græc. & Vulg. lat. iungunt finem huius uersus cum principio sequentis, & sic legunt, Tu cognouisti omnia nouissima & antiqua. Hieron. Ecce Domine nosti omnia.

Mirabilis hæc scientia supra me est.) Ebr. *מְנוּחָי*. Græc. & Vulg. lat. Mirabilis facta est scientia tua ex me. Hieron. Supra me est scientia. Iustin. Occulitur mihi scientia. Felix: Mirabilis scientia ex me. Pagn. Mirabilior scientia me.

Illud, Ardua est, Ebr. *מְנוּחָי*. Græc. & Vulg. lat. Confortata est. Hieron. Excelsior est.

Non possum eam consequi.) Ebr. *מְנוּחָי*. id est, Non possum ad eam.

Domine inuestigasti me, & cognouisti.) In genere hoc dicit: Domine, accusor ab inimicis meis, quod insidias struam & regi & regno. Sisto me conscientie tue, cui sum planè notissimus. Et enim tu me ex intimis cognouisti, & exploratum habes. Sic arbitror affectu fuisse Dauidem, cum ista componeret. Quod autem dicit, Domine inuestigasti me: non sic est intelligendum, quod per inuestigationem cognouerit Dauidem Dominus. Inuestigare aliquid non est Dei, cui omnia non solum cognita, sed & præcognita sunt, omnino perspicua & manifesta: sed hominis, qui necesse habet, ut quæ paulo sunt obscuriora, per inuestigationis diligentiam & sagacitatem cognoscat. Quoniam autem quæ inuestigatione cognoscuntur, penitus & accurate intelliguntur, ut significaret se non obiter & facietenus tantum notum esse Deo, sed & per omnia & exactè, noluit simpliciter dicere, Domine tu cognouisti me: sed, Dñe inuestigasti me, & cognouisti me. Q. d. Omnia mea sunt tibi explorata. Nihil est in intimis meis, quod non liquido cognoscas. Si tale quid, cuius accusor, in corde meo est, tibi notissimum sit oportet.

Tu nosti sessionem meam.) Quod primo uersu in genere dixit, id iam consequenter amplificat, & in species suas digerit. Dixit autem, Tu cognouisti me Domine, & inuestigasti me. Hanc cognitionem explicat ad hunc modum: Siue sedeam, siue stem, siue eam aliquò, siue quiescā & accubam alicubi, sum tibi cognitus. Nihil horum te latet. Etiam si loquar aliquid, totum illud nosti. Non est uerbum aliquod, uel tantillum, & quomodocumque prolatum, quod ignores. Quin & cogitata mea de longinquo cognoscis, quæ tibi nota sunt, antequam oriatur in corde meo, dum terro.